

**D**E *Cornelio Nepote Vitarum*, quas hodie dum legimus, *scriptore* puræ & Romanæ dictionis, scitu maxime digna atq; necessaria, erudite, uti pleraq; omnia, congeffit *Gerardus Johannes Vossius* (*lib. I. de Historic. Latin. c. XIV.*) ex cujus variegato & utilissimo opere multa haurienda sunt bonarum artium studiosis, aliàs cum detrimento liberalium studiorum ignoranda. Dolendum simul & mirandum est, diu adeò latuisse sub nomine librarij supposititio seu ὑποβολιμαίω *Æmiliij Probi*, quum jam olim vulgo eruditorum suboluerit, longè aliter olere catulos, aliter sues, *Tbaida* olere *Tbaidem*, alià voce loqui psittacum, alià coturnicem, aliud sonare noctuam, aliud cornicem, cygnorum etiam cantum (puto enim nos tutiùs plurium sequi sententiam) meliorem esse quàm aut anserum aut gruum. Aliud erat ævum *Augusteum*, aliud *Theodosianum*. Interim scholis, etiam trivialibus, ante *Augusti Buchneri*, celeberrimi illius per *Europam* viri, ætatem & auctoritatem adeò familiaris non fuit *Cornelius*. Proinde & ego, quem numquam discipulus ex præceptore explicatum audieram, præceptor discipulis in patriâ jam *Naumburgò* exponere privatim cœpi, quam & heic in illustri *Budisâ* operam pertexui & aliquoties retexere ac redordiri perrexi. Inde mihi sub manu natæ sunt seu *perioche* seu *dispositiones*, quas illò tempore auditoribus meis dictatas nunc publicè heic edo, bonò animò, absq; ullò in literis dominatùs aut desiderio aut ambitu. Legite sultis & aut demite, aut addite Eruditi.

Præfatio. In *Prefatione*, quæ concipitur in formâ *Refutationis*, (1) ponitur ipsa *Propositio*, seu adversariorum *Objectio*, Hoc genus scripturæ *Cornelianæ* tum leve est tum viris illustribus indignum: (2) *Propositionis Ratio seu probatio*, Quia leve est & indignum *Epaminondâ* e. g. *Musicæ* cognitio & saltatio. (3) *Responsio*, quòd fit diversa ratio honestorum atq; turpium apud diversos populos. (4) *Responsionis Confirmatio* per Inductionem quorundam exemplorum non-turpium apud *Græcos*: ut 1. habere in matrimonio germanam sororem, 2. adolescentulos à quàm plurimis amari, 3. viduas ad scenam ire, 4. victo-